Gn 32,18b – 33,7

uenit. Similiter mandata de-
dit secundo ac tertio. & cunc-
tis qui sequebantur greges dicens;
hisdem uerbis loquimini ad esau
cum inueneritis eum. & addetis.
Ipse quoque seruus tuus iacob iter
nostrum insequitur. Dixit enim;
placabo illum muneribus quae prae-
cedent. & postea uidebo. forsitan
propitiabitur mihi; Praecesserunt
itaque munera ante eum. ipse uero
mansit nocte illa in castris; Cumque
mature surrexisset. tulit duas
uxores suas. & totidem famulas
cum undecim filiis. Et transi-
uit uadum iaboc. transductis-
que omnibus quae ad se pertinebant.
remansit solus; Et ecce uir luc-
tabatur cum eo usque mane;
Qui cum uideret quod eum supera-
re non posset. tetigit neruum
femoris eius. & statim emarcuit;
Dixitque ad eum; dimitte me. iam enim
ascendit aurora; Respondit.
Non dimittam te nisi benedixe-
ris mihi; Ait ergo; quod nomen
est tibi. Respondit; Iacob; At
ille. Nequaquam inquit iacob
appellabitur nomen tuum. sed
israhel. Quoniam si contra dominum for-
tis fuisti. quanto magis contra
homines praeualebis; Interro-
gauit eum iacob; Dic mihi quo
appellaris nomine; Respondit.

Cur quaeris nomen meum. & bene-
dixit ei in eodem loco; Vocauitque
iacob nomen loci illius phanuhel.
dicens; Vidi dominum facie ad faciem.
& salua facta est anima mea;
Ortusque est ei statim sol. postquam
transgressus est phanuhel. ipse
uero claudicabat pede; Quam ob
causam non comedunt filii israhel
neruum. qui emarcuit in femo-
re iacob. usque in praesentem diem.
Eo quod tetigerit neruum femoris
eius. & obstipuerit;
Leuans autem iacob oculos suos
uidit uenientem esau. & cum eo qua-
dringentos uiros. Diuisitque filios
liae & rachel. ambarumque famu-
larum. Et posuit utramque ancil-
lam & liberos earum in principio.
liam uero & filios eius in secundo loco.
rachel autem & ioseph nouissimos.
Et ipse progrediens adorauit pronus
in terram septies. donec propin-
quaret frater eius; Currens itaque
esau obuiam fratri suo amplexa-
tus est eum. stringensque collum &
osculans fleuit; Leuatisque oculis
uidit mulieres & paruulos earum.
& ait; Quid sibi uolunt isti. & si ad
te pertinent. Respondit; Paruuli sunt
quos donauit mihi deus seruo tuo; Et
appropinquantes ancillae & par-
uuli earum. incuruati sunt; Acces-
sit quoque lia cum liberis suis. & cum